

No. 206. 1268. 11. Sept.

B. Witego belehnt die Brüder Utr. und Heinr. gen. von Nuzin mit der Burg Nossen und andern Gütern, welche ihr kinderloser Oheim Petrus gen. der Weise zu Lehn und dessen Gattin zu Leibgedinge gehabt, wogegen die genannten Brüder dem Stift das Dorf Braterswitz zur Entschädigung aufgelassen und 11 Mark S. gezahlt haben.

Nos Witego dei gratia Misnensis episcopus notum facimus tam praesentibus quam futuris, quod nos de voluntate et consensu unanimi Misnensis capituli domino Vlrico et Heinrico militibus fratribus dictis de Nvzin castrum Nvzin et omnia bona, quae dominus Petrus miles patruus eorum dictus Sapiens, sive infeodata vel uxori suae in lipgedinge collata noscuntur, a nobis et a praedecessoribus nostris habuit, in verum feodum contulimus cum omni utilitate et libertate, quae nunc inest vel inesse poterit in futuro, et quod ipsa bona heredes ipsorum a nobis et a nostris successoribus iure feudali perpetuo possidebunt. Verum quia saepedictus dominus Petrus heredes succedentes sibi non habuit, ex ipsa collatione datur Misnensi ecclesiae praeiudicium atque dampnum. Unde in restaurum praedictorum praefati Vl. et H. fratres quandam villam Braterswitz^{a)} cum omni utilitate et iure nobis ad Misnensem episcopatum liberaliter resignarunt, insuper undecim marcas paratae pecuniae convertendas ad utilitatem Misnensis ecclesiae addiderunt. Ne autem super praemissis per calumpniam sive per oblivionem aliquod dubium valeat suboriri, praesentem paginam desuper scribi fecimus nostri ac Misnensis ecclesiae capituli sigillorum munimine roboratam. Actum Misnae anno domini M°. CC. LXVIII. III. Idus Septembris pontificatus nostri anno secundo. Huius rei testes sunt dominus Wienandus de Herstein, Johannes de Bele, dominus Henricus de Waldowe, H. Burleban milites, Johannes curiae nostrae notarius et plures alii fide digni.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem beschädigten Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

a) Praterschütz, Par. Leuben.

No. 207. 1269. 1. Febr.

Probst und Capitel zu Meissen bestätigen die von dem Canonicus Conrad von Boruz bewirkte Stiftung der Capelle des h. Andreas im Kreuzgange und der damit in Verbindung stehenden Vicarie.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Cvnradus dei gratia praepositus, Bernardus decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum universis hanc litteram inspecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Quoniam singulis ius suum integrum est servandum, ut sic quiete vivant homines, nec cuiquam dissidendi materia tribuatur, rationis interesse dinoscitur, ut quae piae devotionis affectu geruntur, sic enucliet, limitet et distinguat, ne ulla postmodum interveniente calumpnia deflorentur. Hinc est quod universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris